

I. N. S. S. T.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

VIRTUTE ETHICA

Seu Morali

IN GENERE;

Quam,

DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,

Cum Consensu & Approbatione Amplissima Facult.

*Philosoph. in celeberrimâ Regiâ ad Auram Fennerun
Academiâ;*

P R Æ S I D E

Pl. Reverendo & Excellentissimo VIRO,

DN. M. PETRO LAURBECCHIO

Poësis Professore celeberrimo, Promotore & Præ-
ceptore debitâ animi observantiâ & quovis honoris
genere atatè devenerando,

*Pro Gradu in Philosophiâ ejusq; Privilegiû reportandû Can-
didò eruditorum examini modestè sistit*

HAQUINUS Pql. Man Finlandus:

In Acroaterio Maximo ad diem 14. Nov.

ANNO *xe15070vius* 1679.

A B O Æ,

Excusa apud Viduam Hansonii, Acad. Typogr.

Mons. Johannes Utker

Incluti Magni Ducatus Finningiæ Acad. PATRIBUS
Amplissimis, Reverendissimo DN. PRO-CANCELLARIO,
Magnif. DN. RECTORI, admodum Rev. Consultiff. Experi-
entiff. & Præclariff. atq; Excellentiff. omnium Facultatum
DNN. PROFESSORIBUS; Patriæ sideribus fulgentiff: Colu-
minibusq; longè desideratiffimis, graviffimis:

UT ET

Pl. Reverend. Dn. Præp. Rever. Eruditiff: atq; Humaniff:
VIRIS, Dn. Pastoribus & Symmysis Patriotisq; in Præpositurâ
Eßffalensi meritiff. & vigilantiffimis;

NEC NON

*Reverendâ dignitate, devotâ pietate, Humanitate & doctrinâ
maximè conspicuis VIRIS;*

DN. JACOBO ETHOLÆNIO, Pastori in Lampis
& Præp. in Contractu Hollolensi graviffimo.

DN. ABRAHAMO ALFANO, Pastori in Hattula
ejusdemque districtus Præp. digniffimo,

DN. CHRISTOPHORO HERKEPÆO Past. Eccl. D.
quæ in Hauho & Fulos Collig. meritiff. & Nutritio liberaliffimo.

DN. JOHANNI HARCHLERO, Pastori in Nyfyrckia
attentiff. Consanguineo amantiff. & non ita prid. Nutrit. prop.

DN. JOHANNI ORRÆO, Pastori animarum Hollo-
lensium vigilantiffimo, sanguinis jure conjunctiff.

*Patrono Magno, Mecanatibus, Promotoribus, Præcepto-
ribus, Evergetis & Fautoribus, summâ animi
veneratione quovisq; observantiæ & honoris ge-
nere aternum suspiciendis, devenerand.*

Disputationem hanc Inauguralem in humillimâ
gratiffimiq; animi pignus & officiosiff; affe-
ctus *τεμπνέου* submissè & perofficiose con-
secrat & offert.

H A Q. Pnt. Man. Aub. & Resp.

Conanti succurre, mihi dulcissime Jesu!

P R Æ L U D I U M.



Iquidem mihi, favorabili atq; honorifico veneranda Amplissimaq; Facult. Philosoph. indultui, mandatoque & tenori constitutionum Acad. satisfacturo, specimen in lucem proferendi meorum in studio progressuum, candidaq; doctorum, quâ par est modestiâ, censura subijciendi, necessitas incumbit; diu multumq; de materiâ idoneâ, & tam Philosophiâ quàm S. S. Theologia (cui me in totum & solidum quoad ejus fieri potest, consecrare, Divinâ affulgente gratiâ, decrevi) studioso necessariâ, non meditatus sum; quippe commodam sese obtulit difficilis quidem, & ingenij mei tenuioris vires excedens virtutis consideratio; Augustissima tamen nobiliss: utiliss: nec non jucundissima, imò S. Theol. Candidatis, & cuilibet verbi D: ministro cumprimis, qui sc. a'js virtutis præferre facem, & bonis exemplis honestiq; moribus præluceat, commendatissima. Nam ut de reliquis nihil dicam (verba sunt Doct. Christ. Dithm. Syst. Eth. lib. 1. p. 12.) Si Theologus virtutum Homileticarum, utpote Mansuetudinis, Civilitatis, Comitatus & Urbanitatis, cognitionem habet nullam, non Theologus, sed potius Morosophus est appellandus. Virtus quippe omnium disciplinarum, scientiarum & artium, non fundamentum modò, eximium decus & ornamentum, sed etiam servatrix custosq; fidelis meritò existit; quâ sine nullus hâc in vitâ status, felix beatusq; verè dici & permanere potest. Quare non abs re Platoni virtus appellatur κἀριστη h. e. bonorum omnium

pulcherrimum. Et Cic. virtute nihil formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius videtur, alijs eam animæ perfectam & optimam dispositionem nominantibus. Sola virtus, teste Iſid. præclaram & nunquam intermorituram gloriam obtinet. Idem loquitur Plautus: virtus primum est optimum; virtus omnibus rebus anteit profectò! Libertas, Salus, vita, res, parentes, patria & prognati eadem tuta servantur. Virtus omnia in se habet; omnia adsunt ei. bona, quem penes est virtus. Lex imperat hanc D. mandat humana, fulcro rectæ rationis subnixæ: Subjiciuntur huic cuncta. Quæcumq; homines arant, navigant, adificant, virtuti parent, ut scitè Salust. magna hominis prærogativa est bona mens, magnum vectigal. Hæc amplum sibi theatrum est, pulcherrimæq; merces. Ut enim auro à gemis à suis honos, sic studijs à virtute. Unahæc temporum injurijs nescit, fortuna assaultum ridet, in secundis, in adversis, non colorem, non animum mutat. hanc ergo qui ætuosam possidet, is felix, is beatus dici meretur. Nihil igitur ardentioribus expeti debet votis, quàm virtus; cui omnes mundi hujus postponendi thesauri & quicquid humano ingenio industriæq; inventum est artium, scientiarum & disciplinarum. Nos itaq; qui gratiâ Sp. S. sumus illustrati, quam diligentissimâ curâ summâq; industriâ virtuti studebimus, nè Ethnici potissimum saniores, verâ Evangelij luce licet destituti, beneficio tamen luminis natura tanto, ut exemplis benè multus facile est probatu, virtutis amore flagrantem, nobis Christianis pudorem incutiant, palmamq; in virtutis studio præcipiant. O virtus igitur exoptatissima! candidè te amplectemur lacertis! Tu mentem & voluntatem ab omni desiderio liberas; Tu hominem à pravis affectibus purificas; Tu es indissolubile vinculum, quo creator & creatura uniantur; Tu miseros in arumnis suis curas; Tu oppressos juvas, & ad caelestia regna transfers. Quis te non magni aestimabit? Quis tui amore non flagrabit? Te qui habet, ille demum ad Rempublicam feliciter gubernandam, ad leges ferent-

ferendas & explicandas, ad munera quævis obcunda idoneus est. Hac itaq; nostra jam Rhodus erit, heic nobis pro viribus saltandum. Hujus proinde Naturam Essentiamq; pro rudi Minervâ, Divi Sulfus gratiâ, succinctis hisce positionibus saltem adumbrare & delineare, cum in secretiora ejus adyta, interioresq; recessus penetrare, nedum singula ad vivum refecare, mearum non sit virium, in animum induxi, ut hâc occasione mihi ipsi de virtute exercendâ, alijsq; seriò commendandâ perpetuum exsistere possit memoria monumentum. Humanitatem igitur, placidamq; Candidi benevoliq; Lectoris Censuram etiam etiamq; expeto, ut quod virium facultatis, nimia temporis angustia retardata, defuerit, sincero favore suppleatur, & si omnia ad palatum non fuerint, candido judicio tamen omnia in meliorem partem explicentur.

Cor, calamum, linguam, cerebrum, mentemq; gubernes,
O Pater & Fili & Spiritus alme, meam! sit itaq;

Disquisitio I.

An virtus rectè dicatur à viro, variæque sit acceptionis?



Raciso longiori verborum ambitu, telam susceptam aggredimur: quam feliciori ut pertexamus brachio, Naturam ac genuinam virtutis rationem investigaturi certis nos cancellis includemus, nè in devia nostrò à proposito, certâ destituti Methodo, abripiamur. Igitur primo hîc in limine virtutis definitionem enucleabimus nominalem, in quâ notanda a. *Etymologia.* Virtutis vocabulum non à vi, ut nonnullis placet; nulla enim vis seu violentia in virtute est; sed rectius à viro, quem maximè virtus decet,

ductum est, Cic. Lib. 1. Tusc. quaestio. quodque aliis à virore & vigore appellationem habet, etiam quòd viris maximè congruat; non quasi fæmineus sexus à virtute prorsus excludatur; Sed quòd à viro, cui majores natura ut plurimum dotes vigoremq; contulit, magis exigatur; unde antiquitus fortitudinem, postmodum verò quemvis virtutis habitum denotabat. Ἀρετῆ a. Græcum vocabulum, vel ἀπὸ τῆ ἀίρεσιν à tollendo, quia homines ad summa maximaq; elevat; vel ab ἀρέσκω placeo, quòd omnibus placeat, aut certè placere debeat: vel ἐρατῆ amabilis; vel ἀίρετῆ, quia maximè exoptanda vel eligenda sit; vel παρὰ τὴν ἀίρεσιν, à Marte, sicq; virtutem bellicam designat, ortum traxit. Germanis dicitur Tugend à Taugen i. e. valere; sicut etiam nostrates dngd à dughā vel diger & dnger/ quod ingentem sive pollentem signat. Hebræis Middah à radice Madah mensurare: vel quòd affectuum animi sit, mensura, ad quam redigendi & conformandi sunt; vel quòd ipsa ad rectæ rationis legisq; regulam, tanquam mensuram, sit exigenda.

β. Homonymia. Sumitur virtutis; vocabulum duobus modis
 1. *Independenter* in Ente infinito Eminentia quædam & perfectio virtutis nomine venit, ut cum Deus justus, sapiens dicitur. 2. *Dependenter* in Finitis rationis expertibus, insita quædam facultas aliquid operandi virtus dicitur, ut virtutes Herbarum, Magnetis ferrum trahentis; vel effecta alicujus rei virtutem dicimus, utpote demonstrationis virtus est scientiam parere. In homine verò, ubi magis propriè collocatur, est 1. *Per naturam*, & nihil aliud est, quàm singularis tantum & eximia alicujus hominis indoles, vel inclinatio ad diversa percolenda studia. 2. *Habitus divinitus infusus*, utpote Donum linguarum, scientiarum, artium, fides, spes, chari-

charitas, virt, appellantur. 3. Habitus ex naturalibus & inficis honestatis seminibus per crebras actiones excitatus, qui vel corporis est, vel Animi; de posteriori nobis heic sermo. *Habitus animi, in Intellectualem vicissim dispescitur & Moralem: illo jam omisso, in hujus naturam inquirere libet,*

Disquisitio II,

An virtus sit habitus Electivus, hicque ejus verum genus?

Affirmativam quæstionis hujus ambabus amplectimur ulnis. Habitum *virtutem* esse, in animâ non in corpore residentem, sic evincimus: *virtus* aut est πάθος, patibilis qualitas, aut est δύναμις potentia naturalis, aut ἕξις habitus; quæ propositio eâ de causâ veritati consentanea videtur, quia hæc tria tantum in animoprehenduntur, ceu actionum principia: & licet animo plura insint, ἐνέργεια & κίνησις, operationes, notiones ac primi motus, non tamen merentur dici actionum principia. Atqui πάθη *virtutes* non sunt; πάθη enim dicuntur affectus & affectuum operationes, ut est actualis ira, amor &c. Suntque nihil aliud, quàm subiti & repentini animi motus, sine præeunte consilio excitati, propter quos neque boni neque mali dicimur, neq; laudamur, neque vituperamur, sed vehementer ab illis movemur & perturbamur; quæ omnia in *virtute* contrario se habente modo non sunt. Non est δύναμις, quippe hæc naturâ nobis inest, & neque reddit nos bonos neque laudabiles, quod contra in *virtute* est. Relinquitur ergo, quod sit ἕξις, qualitas crebris comparata actionibus; idque ulterius patet ex iis, quæ ad naturam habitus spectant, ut sunt 1. Φύσις naturæ aptitudo: ad quod enim naturâ inepti sumus, nunquam per habitum acquirimus. 2. μάθησις, præcepto-

ceptorū perceptio, quibus ceu mediis comparatur 3. *ἔσθησις*
crebra præceptorum praxis, quæ tria, ut in cujusvis habitus,
ita quoque in *virtutis* generatione sunt necessaria. Est præ-
terea *virtus* habitus Electivus; eligit enim ea, quæ in vitâ
bona sunt. Bona autem in vitâ esse censentur, quæ con-
gruunt rectæ rationi, lumini naturæ atque honestati; & sic
distingvitur ab habitibus intellectualibus, corporis, natu-
ralibus, temerariis, fortuitis & invitis.

Disquisitio III.

Utrum Subjectum virtutum moralium sit appeti-
tus sensuum, an verò voluntas?

Satis acriter disputatur inter Ethicos de subjecto virtutum
moralium, quæ controversia vel exercitatissimos etiam
ad tædium usque exercuit. Appetitivam facultatem sub-
jectum *virt.* faciunt plurimi, quorum rationes & argu-
menta videsis apud Piccol. gr. 4. à cap. 7, usq; ad cap. 15.
Nos verò paucis, cum magni nominis & authoritatis viris,
veritati rationiq; maximè consentaneum statuimus, *subje-*
ctum virtutum moralium denominationis esse *hominem*, quî
virtuosus appellatur; *subjectum receptionis vel inhesionis* remo-
tum & mediatum *Animam*; *subjectum proximum & immes-*
diatum, idq; *primarium*, voluntatem: *Secundarium* vel
potiùs *objectum internum*, *appetitum sensitivum*; his mini-
mè ficulneis suffulti rationibus: 1. *Virtus* moralis, secun-
dum Arist. est & definitur *ἕξις προαιρετικὴ* h. e. habitus E-
lectivus, cujus beneficio eligimus, quod legi est confor-
me; Ubicunq; igitur electio & libertas in homine locum
habent, ibi & *virtus*: ubi verò non, ibi nec *virtus*. Atqui
Electio & libertas non in sensitivo, sed rationali appetitu
locum habent; E. & *virtus* moralis. 2. Sicut intellectus per
lapsum

lapsum obscuratus, habitibus, ut quodammodo restitua-
 tur, indiget, & imbuitur speculativis; ita voluntas, ut ser-
 vos illos rebelles, inordinatos affectus compescat, & ad
 promptum redigat obsequium, *virtutibus* moralibus imbui
 necessum habet. 3. Si appetitus esset subjectum inhaesionis
virtutum moralium, sequeretur etiam bruta animalia esse
virtutum capacia: atqui consequens est absurdum, E. & an-
 tecedens. Cætera argumenta hanc in rem apprimè faci-
 entia injunctæ sempèr brevitatis memores omittimus, quæ
 videantur apud Nob. Dn. Gyllenstålpe Colleg. Eth. Disp. 3.
 Dn. Horn Phil. Moral. lib. 3. c. 2. §. 4. seqq. Vendel. lib. 1. c. 3.
 aliosq; circa hanc quæstionem: à quibus etiam contraria ad-
 vers. arg. solidè refutantur. Pro decisione quæstionis &
 resolutione argumentorum, quæ in contrarium adduci pos-
 sunt, distingvendum putamus inter subjectum inhaesionis
 & operationis. Quâ distinctione adhibitâ ultrò largimur,
 appetitum esse subjectum *virtutum* moralium, verùm non
 inhaesionis, sed operationis. Proinde non diffitendum, ad
 sensum quoq; appetitum aliquo modo pertinere *virtutes*;
 quia in ejus *actibus* emendandâ occupantur, ipsiq; usu pau-
 latim sensum appetitum rationi & voluntati rectæ subju-
 gant, legique se conformare advesfaciunt; unde dispositio-
 nes nonnullæ in eo existunt *Virtutis* præ se speciem ferentes.
 Non tamen ut adjuncta inhærentia; voluntas enim sola ho-
 nestatem intendit, non sensitivus appetitus, eandem & vir-
 tus respicit. Quo etiam Aristotelem respexisse existimamus;
 quando *Virtutes* intellectuales intellectui, Ethicas verò ap-
 petitui assignavit. Illas namque consideravit, qvatenus sub-
 jectum suum inhaesionis afficiunt. Has vero, qvatenus ope-
 rando foràs progrediuntur, & facultatem appetitivam mo-
 derantur perficiuntque. Posito autem, licet non concessio,

Aristotelem, ejus Authoritatem Piccolom. Aliiq; tanti faciunt, subjectum *Virtutum* primarium tribuisse appetitui sensitivo; eum tamen manifestæ præjudicium veritati facere non posse firmiter asserimus. Proinde neq; est quod obijciatur, unam & eandem numero virtutem in diversis esse potentijs non posse; etsi id ipsum, diverso tamen respectu, fieri nihil prohibeat, quin & res una, pro diversâ consideratione, ad diversa rerum genera revocari potest; ut egregiè habet idem Nob. Doct. Gyllenstålpe in Coll. Eth. Plura, quæ apud Piccolom. aliosq; inveniuntur argumenta contraria, ipsi συζητήσεις publ. reservantur.

Quoniam igitur appetitus sensitivus, cujus hæcenus injecta mentio, ipsis affectibus exprimitur; ideoque etiam hæc de illis, tanquam mediato objecto interno, & materiâ circa quam, sed paucis agendum erit, saltem quatenus ad virtutis exercitium spectat. Sciendum autem, objectum *Virtut.* Duplex esse; internum & propinquum, vel externum & remotum. Internum & propinquum sunt *Affectus*, *Appetitus* scilicet *sensitivi* *passiones*, orta in corde ob notitiam objecti à Phantasîa monstrati, vel boni vel mali, ut illud consequatur, hoc verò fugiat. Aliàs motio cum non naturali corporis mutatione etiam dicitur. Sicut namq; duæ sunt Appetitus sensitivi facultates; Una, quâ bonum appetimus, malumque averfamur; Altera, quâ malum noxiumque propulsamus; quarum illa concupiscens, hæc irascens audit: ita & ipsi affectus, pro partis utriusq; diversitate generaliter distinguuntur: specialis enim distinctio ab objecto cujusque est petenda. In universum solent numerari undecim: sex in facultate concupiscibili, amor, desiderium, Lætitia; odium, averfatio, tristitia. Quinque in irascibili, spes, desperatio, audacia, metus, ira. quorum sufficientia à nonnullis inductione colligitur.

Defi-

Definitiones passim occurrunt. Circa hos occupata est *virtus*, non tolleudos & planè averruncandos, sed rationis fræno domandos, temperandos & moderandos. Deinde tenendum, Affectus *physicè* & *scientificè* consideratos, in & per se, bonitate scilicet naturali (â Deo namque sunt ipsâque naturâ) omnes bonos esse; *Ethicè* verò *practicè* & *moraliter* spectatos, nec bonos nec malos, nisi quatenus cum rectâ ratione consentiunt, vel ab eâ dissentiunt, quî rationis imperio subjiuntur, boni æstimantur. qui verò exorbitant, mali existunt. Notandum præterea, Affectus temperamentum corporis quidem sequi, sed *contingenter*, non *necessariò*, nec *semper*: cum in voluntate hominis ac arbitrio sit positum, inclinationes naturales, & â temperamento corporis ortas, avertere, suppressere & in ipsâ quasi herbâ extingvere; Exemplo Socratis & aliorum.

Disquisitio IV.

An *Virtutis* forma consistat ἐν μεσότητι, h. e. in mediocritate, an verò ἐν ὀρθότητι h. e. congruentiâ cum regulâ rectæ rationis?

Sicut materiam non agnoscit *Virtus* propriè ita dictam, ita nec formam, sed analogicè saltem; ut per formam non intelligatur aliud, quàm norma vel mensura, juxta quam *Virtus* erit conformanda. Aristoteles quidem & pleraq; Peripateticorum cohors, *Virtutem* ἐν μεσότητι consistere contendunt. Nos verò *virtutem*, cum B. Meisn. p. 1. Phil. Sob. p. m. 248. seqq. D. Christ. Dithm. alijsque subtilis ingenij eruditionisque præfundioris viris, πρώτως ἐν ὀρθότητι, δεύτερος ἂν ἐν μεσότητι, vel, si Scholasticorum velimus uti terminis, ἐν ὀρθότητι formalitèr, ἐν μεσότητι autem concomitantèr vel consequentèr consistere, his non contemnendis instructi argumentis, tutò stabilimus. Quod

1. Quod rem aliquam constituit, & ab alijs distingvit, id ejus est forma. ὁρθότης virtutem constituit &c. E. ejus est forma. Quia omne mensuratum per congruentiam cum mensurâ est id quod est; uti ex veritatis & bonitatis definitione videre est. Hinc fit, ut Metaph. *veritatem*, definiat per congruentiam cum Intellectu; & *bonitatem* per congruentiam cum voluntate divinâ. Quare ipsum etiam τὸ τί ἦν εἶναι vel ipsa quidditas & essentia actus boni vel *virtutis* Ethicæ, consistit in justâ cum rectâ ratione vel lege naturæ convenientiâ. Sola namq; hæc facit, ut actus differens limitetur ad bonitatem: sola hæc intrinsicè & essentialiter distingvit actus bonos à malis, & ab omnibus alijs diverforum generum operationibus; ideoque forma *virtutis* meritò statuitur. Non præstat illud μεσότης. Distingvit equidem & hæc *virtutem* à vitio, ad illamque necessariò requiritur; sed non à priori, ut essentialiter constituens, verum à posteriori, ut immediatum ejus adjunctum & essentialiter consequens. ideoque esse non dat, sed declarat. Non enim bona est actio primò, quia in medio; sed contra in medio consistit, quia bona rectæque rationi consentanea. Igitur ὁρθότης est causa μεσότητος, non reciprocè. Unde concludo firmiter, ὁρθότης formam *virtutis* esse; μεσότης a. non formam *virtutis* accuratè loquendo constituere, sed esse formæ proprium & essentialiter consequens.

2. Per quod virtus à vitio formaliter distingvitur, in eo *virtutis* forma consistit; cui enim non competit officium formale, ei quoque forma ipsa non competat, necessum est. Atqui per congruentiam cum regulâ rectæ rationis distingvitur *virtus* à vitiis: ideo enim, quia vitium cum regulâ rectæ rationis non congruit, non *virtus*, sed vitium dicitur. Si enim cum eadem congrueret, non vitium, sed *virtus* esset.

Igitur virtus & vitium in eo formalitèr distingvuntur, quòd omnis *Virtus* cum regulâ rectæ rationis congruat, vitium verò ab eâdem discrepet.

3. Contrariorum formæ sunt contrariæ; etenim omne contrarium suo contrario est contrarium per formam, quâ est id quod est. Atqui vitii forma consistit in *ἀνομία* h. e. in illegalitate sive discrepantiâ à lege nat. vel à regulâ rectæ rationis. E. *virtus* consistit in *ἐνομία* h. e. in congruentiâ cum lege naturæ, vel cum regulâ rectæ rationis, id quod erat demonstrandum. Cum tam sæpè injicitur mentio rectæ rationis, non inutile erit scire, quid illa sit: *Recta ratio*, non est ipsa anima rationalis seu intellectus, sed rectum intellectus iudicium de re, quæ vel naturalitèr nota est, vel ex principiis naturalitèr notis legitimè sequitur. Quotiescunq; igitur dicimus hoc vel illud convenire cum rectâ ratione, nihil aliud volumus, quàm quod verum & certum sit, vel quia est principium naturâ notum, vel quia ex principio aliquo ejusmodi deduci potest.

Disquisitio V.

An *Causa efficiens virtutis* sit *Universalis & Remota*, vel *Particularis & Propinqua*, hæc q; *principalis & Administra*. *Finis cui, vel cujus?*

Consideratis jam genere, causis internis, materiâ & formâ virtut. moral. ad contemplationem causarum externarum *Ἀπὸ θεοῦ* rectè progredimur. *Universalis & Remota* est Deus Ter. opr. Max. qui uti omnis boni fons atque origo, sic quoq; virtutis causa efficiens existit. Hoc etiam Ethnici agnovere. Nemo unquam, dicit Eloquentiæ parens Cicero, magnus sine afflatu D. extitit; & Seneca, Bonum virum à Deo, ac nullam sine Deo mentem bonam

esse, ait. Non enim solùm aliqua *virtutum* semina, & discrimen honestorum turpiumq; naturæ nostræ humanæ implantavit, verùm etiam quotidie per ordinarium Magistratum legibus, exemplis, Comminationibus nos adigit, & virtutibus in brutis animalibus depictis ad æmulandum, ad *virtutis* studium promovendum nos excitat. *Propinqua* & quidem *Principalis*, est actio, non quælibet, sed honesta, proveniens ab intellectu & voluntate rectâ. *Administra*, *cura tum parentum*, quæ est commoda educatio, adeoque necessaria & utilis, ut si negligatur, detrimentum reip. majus inferri non possit. consistit a. in corporis efformatione per decentes gestus, & in animi informatione per virtutes & artes; tum *ipsius educandi sc. curâ*, quæ est præceptorum applicatio & quotidiana usurpatio exercitatioq; actionum moralium. Una sicut hirundo non facit ver, ita nec una actio habitum. In præceptorum applicatione omnibus viribus quis anniti debet, ut in studio *virtutis* ita progrediatur, nè sibi quicquam deesse videatur. A primis unguiculis honestati assuescat, & sic se in *virtutis* operibus exerceat, ut ex liberâ voluntate sponte secundum *virtutem* agat, vitiaque tanquam Diabolû ipsûm aversetur. *Finem*, ut ipsa præstans est, ita præstantissimum acquirere tentat, estq; ϕ , vel ξ . Finis cui, est homo; Cujus, vel absolucè summus, Gloria sc. Dei; vel in suo genere summus, est S.B. & felicitatis consecutio, ejusq; consequens, tranquillus, qui in hæc miseriarum valle mortalibus obtingere potest, status. Ex suprâ dictis denique spontè fluit talis Definitio: *Virtus est Habitus Electivus, consistens in rectitudine legi D. consentaneâ; vel à posteriori: mediocritate, quæ ad nos est, ratione definitâ. Seu: Virtus est promptitudo agendi in homine, secundum normam rectæ rationis, quâ affectibus tale injungitur moderamen, ut beatus & felix in hoc mundo status obtineatur.*

Disquisitio VI.

An virtut. Ethicæ vel moral. specie & formâ differant à Theologicis?

PRO decisione hujus quæstionis, & conciliatione sententiarum adversâ inter se fronte pugnantium, distinguendum putamus in-

ter diversam virtut. Ethic. considerationem. Considerantur enim vel abstractè, vel concretè una cum subjectis inhærentiæ. Cum ideoq; subjectum vitiosum inficiat actiones, teste scripturâ Matth. 15. 19. igitur non concretè, sed abstractè considerari debere dicimus. Et quia porrò abstractè considerantur bifariam, νομικῶς & ἐυαγγελικῶς, dicimus virtutes quidem Ethicas Ethnicorum & Christianorum consideratas Legalitèr, prout sunt opera recta, bona, honesta, & laudabilia, εὐνοιδῶς, formalitèr & specie non differre. Consideratas a. virtutes Evangelicè, prout sunt opera Deo placencia, non tantùm gradu perfectionis, sed specie & formâ Ethicas ac Theologicas ab invicem differre. Quia ut solæ Christianorum Complacentiâ speciali & gratiosâ, Ethnicorum a. bonæ actiones, non nisi generali saltem, quatenus rectæ rationi legiq; naturæ conformes, Deo placent; paritèr Theologicæ à virtutibus Ethicis causâ efficiente, Causâ materialivel subjecto, causâ formali peculiari specieq; & causâ finali differunt. Institutio, injunctaq; brevitatis plura hæc de materiâ literis mandare prohibet, proinde heic pedem figere, telæq; susceptæ finem imponere necessum habeo. Tegit nam portum cymbula nostra suum. DEO Trinuni sit Laus, honor gloriaq; in nunquam terminanda secula!

Corollaria.

Quest. 1. An virtus rectè dividatur secundum species, in Pietatem & probitatem; Graduum v. intuitu, in inchoatam, vel Perfectam, vel Heroicam? Aff.

2. An virtutes morales inter se sint specie distincta? Aff.

3. An virtus homini sit naturalis, an v. minus? Aff. dist.

4. Estne homo proclivior ad virtutem, quàm ad vitia? Neg.

5. Rectè ne dicatur virtus & mediocritas & Extremitas? Aff. dist.

6. Utrum omnis virtus consistat in medio? Aff.

7. An omnes virtutes in hominem in hæc vitâ cadere possint? Aff. A.

8. Utrum in arbitrio hominis positum, virtuti operam navare, vitiaq; averfari? Aff.

9. Utrum de vitijis sit agendum in Ethicis? Aff. dist.

10. An vitium formalitèr sit aliquod positivum? Neg. dist.

SOLI DEO GLORIA.

Philosophiæ Candidato meritissimo,
Nunc pro honoribus Magistræ nervosè & doctè differenti,
DN. HAQUINO *Pijl. Man/* Amico & Sympatrioræ
meo singulariter dilecto :

Quale sit Ingenium, nunc disceptatio præsens
Pijlmanni exponit, suspicienda, reor.
Cui non immeritò, Parnassi in vertice, sacra
Turba novenarum digna brabæa parat.
Ergo bonis avibus, nostri spes ampla Lycæi,
Jam cape quæ portat præmia Musa tibi,
Ut videant studiosa, cohors, clarique parentes,
Quas gestet titulos mens tua docta! Vale.

*Hæc pauca, cæteris impeditior, subito
dedit*
JOH. FLACHSENIUS,
Acad. b. v. Rector.

JUVENI
Literarum Virtutumque culturâ Politissimo,
DN. HAQUINO *Pijl. Man/* Phil. Candid. meritissimo,
Amico & populari meo apprimè dilecto,
Pro summis in Philosophiâ honoribus ritè consequendis
publicè disputanti :

Hætenua Aoniû *Pijl. Man* qui navitèr hortâ
Sudâras, sôphicis nocte dieque vigil
Incumbens chartis, tibi Pallas præmia tantis
Ecce parat meritû, Castalidumque cohors :
Incedes titulo clarus, lauroque recenti
Palladios inter doctus & ipse viros :
Vix jam præniteat tantorum, HAQUINE, laborum:
Nam surgunt curis fama decusque tuis.
Sidere cur voveo fausto Tu culmen honoris
Nunc adeas ; cursum prospera fata regant !

Gratulabundus dedit
JACOB. FLACHSENIUS.